

in duos tomos haec commentatio et non sine causa, siquidem liber ipse Geneseos in duas sectiones partitur: quarum prima refertur ad creationem mundi et origines historicas totius generis humani, secunda vero tractat de Abramo et ejus primis posteris seu de originibus historicis populi judaici specialiter considerati. Hanc autem sectionem adoptat suamque facit in partitione suae commentationis D. Lamy. Quoad styli dotes, linguam latinam optime callet eamque iste auctor scribit eleganter nec ei deest concisio verborum et claritas sermonis. Aliunde si multum studuit recentiorum temporum scriptis ad ea confutanda, magis tamen versatus est in tractationibus interpretum melioris notae veterumque Patrum ac praesertim S. Ephremi, qui meretur nuncupari doctor catholicus linguarum semiticarum.¹⁾ Sicque, ut ipse fatetur in monito praevio (p. 6), sat multa, quae visa sunt vera et utilia, ab utrisque fontibus mutuatus ad instar apis prudentis et laboriosae optimos favos mellis collegit a floribus plantarum tam venenosarum quam salubrium; quod ego libenter assero et testificor. Unde omnes et praesentim studiosam juventutem seminariorum et universitatum catholicarum hortor et obsecro, ut currant ad hoc alvearium, nempe Commentarium clarissimi viri Lamy in Genesin, et gustent illo favos mellis tam suavis quam nutritivi, qui in eo absconduntur, et ex eis satiabuntur. Haec pauca sufficiant ad commendationem eximii doctoris Lovaniensis ejusque novae post plures alias scriptionis, quae honoris locum obtinere meretur in omnibus bibliothecis ecclesiasticis et etiam geologicis, ad scientiae profectum, ad erroris confutationem et veritatis vindicationem.

D. Beda Plaine.

I. Regesta Innocentii Quarti

ex codicibus Vaticanis et Parisiensibus edita integre vel analytice curis et operâ Eliae Berger, scholae vulgo nuncupatae Gallico-Romanae (Ecole française de Rome) alumni. — Textus latinus cum notis, prolegomenis, et indicibus linguâ gallicâ exaratis. — Primus tomus LXXX — 458 pp. in 4^o maiori et duabus columnis constans. Paris, Thorin 1884. Fr. 45.

2. Regesta Benedicti XI

ex codicibus Vaticanis edita integre seu analytice curis et opera Caroli Grandjean, eiusdem scholae alumni. — Duo primi fasciculi de 256 pp. in 4^o — constans Textus latinus ut supra. Paris, Thorin 1884. Fr. 20.

Ex omnibus fontibus, unde hauriuntur historica documenta, notitiae, testimonia ad veritatem comprobendam erroresve confutandos et alia huiusmodi, nullus forsans, saltem quoad medii

¹⁾ Nactus hanc occasionem enixe commendo editionem vere criticam Hymnorum et sermonum ejusdem S. Ephremi, quae hodie, curante nostro docto Commentatore, sub praelo est Mechliniae apud Dessain et tribus voluminibus in 4^o constare debet. Primum volumen jam editum est, secundum et tertium brevi tempore subsequuntur, si adsint doctorum et piorum suffragia et pecuniaria subsidia.

aevi tempora, adinveniri posset tam purus et tam ferax ac Regesta seu Bullaria Romanorum Pontificum. In his enim abundè efformatur et inconcussa astruitur Historia tam sacra quam profana, tam ecclesiastica quam civilis, tam generalis quam particularis et localis. Qua de causa plures nostri temporis viri eruditionis notâ insigniti, inter quos eminent ex Germanis Jaffé et Potthast, hunc agrum studiose et fructuose, licet parcè et in mensurâ insufficienti, excoluerunt. Quapropter etiam nostris his diebus eruditorum schola recenter fundata (anno 1873) sub nomine: Schola Gallico-Romana (gallicè: Ecole française de Rome) eiusdem agrî melius et extentiùs excolendi propositum alacri animo amplexa est, scilicet huius scholae alumni, omissis Regestis Pontificum Romanorum saeculo decimo tertio anteriorum nec non et Innocentii tertii, Honorii tertii ac Gregorii noni magnâ ex parte iam evulgatis, usque ad tempora Innocentii quarti et Bonifacii octavi devenerunt, eorum bullas et litteras, quae sunt, ut patet, maximi momenti, ex fontibus authenticis seu editis seu ineditis universaliter indagandi, extrahendi, edendi provinciam sub suâ curâ strenuè suscepturi. Profecto, quamvis omnes litterae uniuscuiusque horum Pontificum, nullâ exceptâ, indagari debeant et exquiri diligenter, non omnia tamen huius generis documenta, ne in immensam molem accrescat opus, textu litterali et integro ad lucem proferentur à nostris eruditis viris. Brevitatis vero gratiâ maior eorum pars analyticè tantum et compendiosè eduntur, quin tamen aliquid eorum, quae ad historiam verè pertinent, deliberatè resecentur. His praemissis generatim tum de operis suscepti momento, tum de methodo in eo condendo servandâ nunc in particulari de fasciculis iam editis breviter agendum. Septem sunt numero fasciculi iam in lucem prolati, quorum quinque ad Regesta Innocentii IV referuntur et duo alii ad Regesta Benedicti XI spectant. Quinque primi, quorum editor habetur clarus vir Elias Berger, iam aliàs notus, nobis exhibent praeter Praefationem seu Prolegomena, in quibus sapienter et doctè asseritur Regestorum dicti Innocentii authenticitas, 3049 documenta partim integrè partim solummodo analyticè edita; quatuor vero ferè duodecim Pontificatus Innocentii annos complectuntur, primumque ex tribus, quibus constare debet totum Regestum supradicti Pontificis, volumen efformant. De ordinis nostri monasteriis frequenter agitur in his paginis multumque adiumenti hic adinveniet futurus Annalium O. S. Benedicti continuator. Proindè quamvis forsitan duobus vel tribus locis ab indagatore nimis curioso adinveniri possint aliqua sphalmata, verbi gratiâ, analyses insufficientes erroresve seu verba malè intellecta, verumtamen editoris scientia, industria et sagacitas in dubium revocari nequeunt. Quamobrem Innocentii IV Regestorum editionem omnimodâ commendatione dignam

existimamus eiusque celerem diffusionem totis votis prosequimur, utpotè multum scientiae historiae errorumque confutationi profuturam. Idem iudicium ferri debet de duobus fasciculis Regesti Benedicti XI, iam in lucem prolatis auctore erudito viro Carolo Grandjean, uno ex praecedentis sodalibus, licèt adhuc nobis desint Praefatio et Prolegomena huius operis. Nam duo dicti fasciculi ferè dimidiam totius Regesti partem nobis exhibent: nempe 362 documenta ad quatuor primos menses istius Pontificatus, qui intra 20. menses concluditur, spectantia. Ex altera parte rarissima sunt in his duobus ultimis fasciculis sphalmata et frequentius quam praecedenter textus integri proferuntur. Sed forsàn aliquis curiosè à nobis exquiret, cur pluris facere necesse sit Benedicti XI Regestum Pontificis, qui sedens aliquot tantum mensibus in cathedra Petri nec multa gessit, nec res maximi momenti ad terminum perducere potuit. Cui respondendum est cum ipso editore si revera Benedicti XI Regestum, in se ipso consideratum, non sit forsàn pluris faciendum, multum tamen adiumenti historicis praestitutum esse ex eo, quod sub alio respectu nihil aliud est quam appendix et supplementum Regestorum, Bonifacii VIII cui successit breve post tempus ipse noster Benedictus. Ac proindè paucos, ut speramus, post annos cum plausu et exultatione totius reipublicae litterarum in lucem publicam edentur ipsa dicti Bonifacii Regesta. Rebus sic stantibus de pretio Regestorum Innocentii IV et Benedicti XI plura congerere supervacaneum videtur. Animadvertere sufficiat, quod huiusmodi tam laboriosae elucubrationes et tanta documentorum authenticorum moles inexhaustam apponunt materiam ad doctè corroborandas seu forsàn confutandas historicorum omnium et eruditorum assertiones, maximè eorum, qui de Gallia christianâ, de Italiâ sacrâ, et aliis huiusmodi tractaverunt. Concludamus. Innocentii IV et Benedicti XI Regesta iam edita facta sunt eo ipso necessaria artis historicae instrumenta ac proindè in nulla magna bibliothecâ abesse deberent, quippe quae (bibliothecae) nihil aliud sunt quam litterarum et scientiarum omnium ample munitae officinae. D. Beda Plaine.

Dr. Heinrich Schrörs Hinkmar Erzbischof von Reims.

Sein Leben und seine Schriften. Freiburg i. Br. Herder'sche Verlagshandlung 1884.
8° XII, 588. M. 10.

Nicht »epochemachend« (wie man zwei Drittheile der literarischen Production zu bezeichnen pflegt), aber unzweifelhaft recht verdienstlich kann eine Monographie genannt werden, welche das thatenreiche Leben Hinkmar's von Reims darstellt. Das Charakterbild des grössten fränkischen Kirchenfürsten ist schon seit Langem in kräftigen Umrissen fixirt und schwerlich dürfte